

At mentem tegit ipse ; & avis velut , insilit alis
 Nunc hos nunc illos supra , matrumque virumque
 Visceribus penitis hærens gravis insidet hostis .
 Flexilis in læva sonat arcus : parvus & arcus ,
 Et parvum est jaculum super arcu ; at in æthera fertur .
 Inque humeris pendet pharetra aurea ; & intus acerbi
 Sunt calami , queis sæpe etiam me sauciat ipsam .
 Omnia , sæva quidem sunt omnia ; sed mage multo
 Sævior illa potens fax urere parvula Solem .
 Duc age duc vindictum , si ceperis : haud miserere ,
 Seu videoas olim flentem , cave fallat ; eumdem
 Seu videoas ridentem , huc o ! trahe . si oscula blanda
 Ferre voler , fugesis : sunt ipsa & labra venenum .
 Quod si etiam dicet ; cape tela hæc , omnia dono ;
 Nil capias , fallax donum est : igne omnia tincta ,
 Ille gerit quæcumque puer secum improbus , arma .

I D Y L L I U M II.

E U R O P A .

*Narrat in hoc Idyllio poëta , ut Juppiter in tauri formam
 mutatus Europam rapuerit , abduxeritque in Cretam .*

SUAVE olim Europæ visum dea candida Cypri
 Immisit , noctis quum pars extrema rubentem
 Jam vocat auroram , jam nectare dulcior hyblæ
 Affusus per membra sopor tegit almus ocellos ,
 Veraque noctivagis pascuntur somnia formis .
 Nam thalamo recubat dum testi parte sub alta

Filia